Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)



cis. Parvulus enim natus est nobis. filius datus est nobis. Et
factus est principatus eius super humerum eius. et vocabitur
nomen eius admirabilis. consiliarius. deus fortis. pater futuri
seculi. princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium. et pacis
non erit finis. Super solium dauid et super regnum eius sedebit. ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia.
amodo et usque in sempiternum. Ad tertium. Kyrie. Ap
paruit gracia saluatoris dei nri omnibus hominibus erudiens
nos. ut abnegantes impietatem et secularia desideria. sobrie
et iuste et pie viuamus in hoc seculo. expectantes beatam
spem. et aduentum glorie magni dei. et saluatoris nostri
ihu xpi. Qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret
ab omni iniquitate. et mundaret sibi populum acceptabilem.
sectatorem bonorum operum. Hec loquere et exhortare. in
xpo ihu domino nro. Gra. Tecum principium in die virtu
tis tue in splendoribus sanctorum tuorum ex utero ante luciferum genui te. Alleluia. Dixit dominus domino meo sede
de dexteris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Alleluia. Dominus dixit ad me filius
meus es tu ego hodie genui te. Sequencia. Laudes nunc omnes reddamus do
mino deo qui sua natiuitate nos liberauit de diabolica potestate.
Hinc oportet ut canamus cum angelis semper gloria in excelsis. Lucan.
In illo tempore. Exiit edictum a cesare augusto. ut describeretur
universus orbis. Hec descriptio prima facta est. a preside syrie